

sore, che mi ha parlato di cose brutte, quando io mi confessava, desidero sapere, se avete parlato a monsignor illustrissimo, e che vi ha detto.

« Cui a me fuit dictum habere in commissis recipiendi formaliter suam denuntiationem, ac proinde pro exoneratione sua conscientiae explicitè fuit interrogata, ut dicat quidquid sibi occurrerit circa praedicta a se superius nominata. Respondit, e si pongano le sue proprie parole volgari che, dice, ben vero siano chiare, et esplicative il confessore sollecitante per nome, cognome, religione, e dignità, giorno, mese, anno, volte, che sollecitò, segni, contrasegni, abitazione, luogo, dove abita, o abitava il sollecitante, parole dette, espresse, segni, seu atti fatti, e tutte le circostanze, che conducono alla replicata chiarezza del sollecitante, o della sollecitatione.

« Avvertendo, che se la persona non si sapesse esplicitare, il deputato con gl' interrogatorii, che anderà facendo, farà esplicitare le cose predette necessariamente.

« Gl' interrogatorii, benchè si diano in volgare, si scrivano in Latino. Verbi gratiae.

« Interrogata, quanam verba specialia, vel quosnam actus inhonestos fecerit praedictus N. N. confessarius ipsi testi exponenti, ei dicat explicitè, et clare omnia.

« Respondit, mi disse, etc.

« Se la sollecitatione è di qualche tempo passato, e che dice.

« Interrogata, quare prius non exoneravit suam conscientiam denunciando praedictum.

« Respondit, etc.

« Interrogata de contestibus.

« Respondit: Questo fatto è passato da solo a solo fra me, e' detto N. N. mentre io mi confessava nel confessionario, come ho detto di sopra, e perciò non v'è persona, che lo possa deporre.

« Interrogata, an exerceat aliquam inimicitiam, vel aliquam exercuerit cum d. N. N. confessario, vel cum suis consanguineis, aut amicis, vel econtra.

« Respondit, etc.

« Interrogata, cujus famae sit praedictus N. N. confessarius, et an audierit aliquando ab aliis similia praedictum N. N. patrasse.

« Respondit, etc.

« Si avverta, che le riposte (non mi ricordo) non s'ammettano, ma si domanda doppio quelle, et fuit dictum a me, ut bene recorderetur, etc.

« Se parlasse con ira, e con passion grande, che dasse sospetto d'inimicitia, dal notaro, o dal deputato si noti, videlicet locuta est nimis iracunde, etc., vel animose, aut temere.

« Interrogata, an viderit ipsa comparens praedictum N. N. confessarium fecisse aliqua opera spiritualia, videlicet orare, elemosynas largiri, missas auscultare, et similia.

« Respondit, etc.

« Quibus habitis, ego ipse mandavi, ut se subscribat, imponendo silentium, ut nul-

latus alicui dicat, se revelasse et denuntiasset, praedicta in totum, vel in partem contra praedictum N. N. confessarium sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, reservata ipsi D. illustrissimo episcopo; e se sarà necessario S. D. Papae. Et fuit dimissum examen, praestito denuo iuramento tactis, etc., prout tetigit de silentio observando super praedictis.

« Io N. N. ho deposto come sopra.

« Overo: Et quia scribere nescit, fecit signum crucis cum calamo a me dato.

« Ita est, ego N. N. professus ordinis N. de mandato illustr., etc., accessi et interrogavi.

« Le scritture sopra questa materia non si confidino a ministri, ma o si consegnino al tribunale supremo, ovvero si sugellino, scrivendovi sopra, *Scritture, che appartengono al tribunale del S. Officio*, quali nessuno può aprire, lacerare, bruciare, o occupare sotto le pene imposte nella Bolla del B. Pio V, che comincia, *Si de protegendis*, cautelandosi, a fine che in vita detti negotii passino come quelli del sugello sacramentale, e prevedere in caso di morte non vadino in potere dei commissarii degli spogli, ministri della Sede vacante, o Cortegiani di prelati defonti, i quali per o più, non avendo molto coscienza, o pubblicano i negotii, o li consegnano in mano delle parti per mercede. E questo basti per una breve, e facile istruzione.

(82. « Per maggior chiarezza si pone una formula di denuncia, cioè le parole della donna sollecitata.

« Per disgravio della mia coscienza denuncio al tribunale del S. Officio, e per esso a V. S. o a V. R. che viene in nome di monsignor illustriss. come averà da un mese, che essendo andata a confessarmi nella chiesa N. N. nella festività N. 20. del mese di Settembre, m' inginocchiavi nel confessionario di mano destra dell'altare sotto il pulpito di detta chiesa, dove stava ascoltando le confessioni D. N. N. Prete secolare, o regolare, e mentre stava io in detto confessionario confessando sacramentalmente i miei peccati, mi disse parole disoneste, e sensuali, e che averebbe voluto, et o fece il tal'atto, e dette queste parole (e si narra distintamente il fatto). Del che ne rimasi scandalizzata. E questo è quanto occorre.

« Interrogata, etc., ut melius explicet illa verba (se pure fossero state dette ambigue, o dubie) e seguita come sopra.

« Ricevuta la scritta rivelatione, il prelatò avverta di conservarla con ogni segreto. Se il caso sarà grave, ovvero fossero più rivelazioni contro uno stesso confessore, potrà detto vescovo farne copia, avvertendo di dare il giuramento, quando assume persona grave per far detta copia, e inchioder gli atti in una sua, che potrà scrivere alla congr. del S. Officio di Roma, a fine che gli ordini, come si hà da portare in tal caso, e chiegga l'istruzione per non errare, avvertendo di più di non far alcuno motivo contro il denunciato, acciocchè non penetri esser reo

nel tribunale, nè comunichi tal segreto al suo superiore, o ad altro, che sia nel mondo, perchè sarebbe error grave in materia di S. Officio. » Ita apud Pignatellum, *loc. cit.*

(83. Qui in partes schismaticorum, haereticorum et mahumetanorum degunt, licet subjecti sint constitutionibus contra sollicitantes, tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denuntiati, atque mulieres sine periculo et infamia denunciare nequeant, denuntiatos vero facile poenam declinare posse credatur, recurriendo, vel ad episcopos schismaticos,

SUMMARIUM.

1. Solutio proprie sumpta quid sit? — 2. Ad solutionem tenetur quicumque est debitor, seu obligatus. — 3. Debitor, qui solvendo amplius non est, si sit laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur, ut ex eis creditores, servato juris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quandiu aliquid adest. — 4. Quis juris ordo servandus sit pro solvendis ipsis creditoribus, cum non sufficiunt debitoris bona ad cuncta solvenda debita? *remissive*. — 5. Quomodo per cessionem bonorum liberetur debitor ab onere solutionis faciendae, et quae de ipso in facti contingentia concludenda occurrant? *remissive*. — 6. Si debitor, qui solvendo non est, sit clericus, non tenetur cedere bonis, nec excommunicari, incarcerari aut aliter molestari potest. — 7. Qui rerum suarum liberam administrationem non habent, non possunt sine auctoritate tutoris, aut respectu curatoris valide solvere. — 8. Procurator tam specialis quam universalis potest valide solvere pro debitore, cujus est procurator. — 9. Imo etiam quivis alius pro debitore, etiam invito et ignorante, solvere ac satisfacere, eumque a debito liberare potest. — 10. Est tamen advertendum quod solvens pro alio sciente et volente habet contra illum actionem mandati; solvens autem pro alio ignorante habet contra illum actionem negotiorum gestorum; solvens tamen pro alio expresse nolente et contradicente nullam habet actionem, vel jus ad recipiendum ab eo, quod pro ipso solvit. — 11. Successor in beneficio ecclesiastico tenetur solvere debita facta ab antecessore pro sua necessitate seu utilitate vel necessitate ecclesiae vel beneficii. — 12. Imo successor in beneficio tenetur solvere debita contracta ab antecessore pro sua necessaria, honesta ac decenti sustentatione. — 13. Ut successor in beneficio teneatur solvere debita antecessoris, debet prius creditor probare, quod pro vera utilitate seu necessitate ecclesiae, aut saltem pro necessaria praelati sustentatione fuerint contracta. — 14. Sufficit tamen, quod creditor probet tunc temporis verum casum utilitatis, vel necessitatis ecclesiae, quamvis non probet in eam pecunias, vel aliam rem creditam fuisse conversam. — 15. Nullatenus vero tenetur successor in beneficio solvere debita ab antecessore contracta alio titulo. — 16. Solutio primum fieri debet ipsi creditori etiam invito; et si creditor accipere nolit solutionem, poterit debitor pecuniam debitam magistratui consignare, siveque se, et a debito principali, et ab usuris liberare. — 17. Nequit vero fieri solutio creditor, qui liberam rerum suarum administrationem non habet. — 18. Potest tamen fieri solutio tutori aut curatori ejusdem. — 19. Item recte fit solutio creditoris procuratori, tam generaliter quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato. — 20. Si debitor penitus ignorante, seu nesciente, procurator a creditore tali officio privetur, vel ei, ne solutionem accipiat, specialiter mandetur, adhuc de-

vel ad laicos judices infideles, ex decreto sacrae congr. S. Offic., die 21 Febr. 1630, attentis supradictis causis, absolvendi sunt et liberandi ab hujusmodi onere denuntiandi; moneri tamen debent, « ut cessantibus supranarratis periculis, et impedimentis, teneantur denunciare. »

(84. Poenas contra sollicitantes quod attinet, in constitutionibus Gregorii XV, et Bened. XV, nec non in decreto SS. Inquisitionis, de quo supra contentas eas ex consensu DD. non incurruntur, nisi post sententiam, cum privet jure acquisito.

SOLUTIO.

debitor recte ei solvit, et liberatur a sua obligatione: secus autem si id sciat. — 21. Item recte fit solutio servis ac filiisfamilias, si ad accipiendam solutionem specialiter vel generaliter sint deputati. — 22. Item recte fit solutio creditori creditoris, nisi ab ipso creditore expressa ad id habeatur contradictio. — 23. In qua specie et quo valore monete faciendae sit solutio? *remissive*. — 24. Debitore existente in culpabili mora solvendi, si interim contingat monetarum mutatio, ipse solus damnum sentire debet. — 25. Quando in conventionem speciali certum tempus ad solvendum praefixum est, debet exacte a debitore observari; et hoc etiamsi creditor non urgeat solutionem. — 26. Unde si ex culpabili mora solvendi praefixo et determinato tempore creditor aliquid damnum patitur, est ei resarciendum a debitore culpabiliter moroso. — 27. Si certum tempus determinatum sit in favorem debitoris, prout ordinarie fieri solet, potest debitor ante finitum tempus conventum solvere, et creditor tenetur solutionem acceptare. — 28. Si autem tempus determinatum sit in gratiam creditoris, debitor ante elapsam illud tempus solvere non potest: nec creditor solutionem accipere tenetur. — 29. Si vero nullum tempus pro solutione sit determinatum, potest debitor eam differre, donec creditor eam petat. — 30. Limitatur tamen primo conclusio in casu, quo solutio sit debita ex delicto. — 31. Et si creditor ex tali culpabili mora aliquod damnum patitur, est ei a tali debitore resarciendum. — 32. Limitatur secundo, in casu, quo creditor ex timore etiam reverentia debitum petere non audeat aut illud ignorat. — 33. Alia ad rem de tempore solutionis seu restitutionis faciendae? *remissive*. — 34. Solutio seu restitutio in quo loco, et cujus expensis vel periculis fieri debeat? *remissive*. — 35. Quilibet debitor regulariter loquendo tenetur simul, et semel totum solvere debitum; nec tenetur creditor solutiones per partes accipere. — 36. Limitatur tamen conclusio primo in casu, quo specialiter conventum sit inter debitorem et creditorem, quod solutio fiat per partes. — 37. Limitatur secundo, in casu, quo debitum per partes contractum sit. — 38. Limitatur tertio, in casu, quo debitor ex diversis causis seu contractibus debita contraxerit. — 39. Unde cum quis ex pluribus causis est debitor, et aliquam solutionem facit, in ejus potestate est exprimere, quod potius debitum velit solutum: si vero nihil exprimat, est in potestate creditoris, pro quo voluerit debito talem solutionem accipere. — 40. Cum hoc tamen, quod si nihil exprimat, censeatur semper solutum debitum magis onerosum. — 41. Quando debitor una cum capitali simul usuras debet per partialem solutionem factam, censeatur solutae usurae, quamvis debitor capitale se solvere exprimat. — 42. Debitum tollitur etiam sine solutione per acceptilationem. — 43. Acceptilatio quid sit? — 44. Unde ut acceptilatio valeat, debet sic fieri, ut appareat, cujus debiti ex pluribus remissio potatur. — 45. Si autem pluribus debitis ex pluribus

stipulationibus factis gravatus non pro uno vel altero determinato debito, sed pro omni indefinite roget, tunc per acceptilationem omnia debita, quamvis ex pluribus stipulationibus provenientia, censentur sublata seu remissa. — 46. Debitum tollitur et solutio fieri censetur etiam per justam compensationem. — 47. Quandoque justa et licita compensatio fieri possit, et quamam conditiones ad ipsam requirantur? *remissive*. — 48. Qui per errorem solvit, quod non jure naturali, nec civili debebat, solum condicere seu repetere potest. — 49. Qui per errorem solvit indebitum jure naturæ, debitum vero jure civili, solum pariter condicere, seu repetere potest sive per errorem facti, sive juris solverit. — 50. Qui indebitum jure civili, et debitum jure naturali solvit per errorem seu ignoran-

(1. Solutio proprie sumpta, est idonea ac sufficiens debiti præstatio seu satisfactio tempore et loco convenienti legitime facta. Sic in re communis.

(2. Ad solutionem tenetur quicumque est debitor seu obligatus; debitum enim, seu obligatio non tollitur, nisi solutione et satisfactione. Institut. *Quibus modis tollitur obligatio*, in principio, ibi: « Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur. »

(3. Debitor, qui solvendo amplius non est, si sit laicus, debet cedere bonis, ac permittere, ut bona ejus subhastentur, ut ex eis creditores, servato juris ordine, percipiant quantum cuique eorum debetur, quandiu aliquid adest. L. *Qui bonis cessarint* 1, cod. *Qui bonis cedere possunt*, cum similibus.

(4. Qui autem juris ordo servandus sit pro solvendis ipsis creditoribus, cum non sufficiunt debitoris bona ad cuncta solvenda debita? *Vide* verb. *RESTITUTIO*, art. 4, a num. 29 ad 73.

(5. Quomodo vero per cessionem bonorum liberetur debitor ab onere solutionis faciendæ, et quæ de ipso in facti contingencia concludenda occurrant? *Vide* verb. *RESTITUTIO*, art. 5, a numer. 49 ad 59.

(6. Si debitor, qui solvendo non est, sit clericus, non tenetur cedere bonis, nec excommunicari, incarcerari, aut aliter molestari potest, si vere inops sit, et ad inopiam sine sua culpa devenerit, et juratam cautionem præstet de solvendo, cum ad pinguorem fortunam venerit. *Communis*, per textum in cap. *Odoardus* 3, De solutionibus, juncto ejus summario, sic expresse habente: « Si clericus non habeat unde satisfaciatur suis creditoribus, non debet excommunicari, nec aliter molestari, præstabit tamen cautionem saltem juratoriam, de solvendo, cum venerit ad pinguorem fortunam. » Assignantur tamen quoad hoc a doctoribus variæ limitationes videndæ apud Barbosam, in d. c. *Odoardus*, a n. 6, et alios canonistas, ibi. *Vide* *Addit. Casin.* in fin. h. Rubricæ.

(7. Qui rerum suarum liberam administrationem non habent, uti sunt pupilli habentes tutorem, minores, furiosi et prodigi habentes curatorem, sine auctoritate tutorum, et respective curatorum valide solvere non possunt. *Communis*, textu expresse in l. *Quod si* 14, § 8, ff. *De solutionibus*, et §

tiam facti; modo ignorantia non sit erassa vel supina, potest solum repetere seu condicere. — 51. Si autem id solvat per errorem seu ignorantiam juris, repetere seu condicere non potest. — 52. Qui sciens, se non debere, et nihilominus solvit, non potest solum condicere seu repetere. — 53. Et procedit conclusio, etiamsi talis dederit hac mente, quod velit iterum repetere. — 54. Secus autem esset, si animo dubio, incerto aut titubante solvisset. — 55. Asserens se indebitum solvisse, et conditionem intentans, probare debet, quod fuerit indebitum. — 56. Secus autem esset, si adversarius negaret se a condicente solutionem accepisse. — 57. Pro faciliore capiti supradictorum datur hic definitio conditionis. — 58. Datur definitio indebiti. — 59. Subnect. *Addit. ex al. man.* ad num. 74.

Nunc admonendi 2 in fine, Institut. *Quibus alienare licet, vel non*. * Sed si pupillus dederit nummos, non fient accipientis, vindicarique poterunt, ut in cit. l. 14, § fin. Hæc tamen regula suam habet limitationem ex ead. lege, ibi. Nam si is, cui fuit soluta pecunia, eam bona fide consumpsit, convalescet solutio, nec amplius poterit vindicari. *Plane si fuerint consumpti, liberabitur*. Sed nec omnes, qui liberam rerum suarum administrationem non habent, prohibentur solvere creditoribus. Reus criminis inquisitus prohibetur in fraudem fisci alienare, nihilominus recte solvit, nec enim in fraudem alienat, qui solvit, quod debet. L. 42, ff. *De solut.* Filius pariter familias, qui peculii castrensis administrationem habet, solvere non prohibetur, argumento leg. 84, ff. eod. Multo magis convalescit solutio facta a filiofamilias, si eam ratam habeat pater, vel tacite, vel expresse, argumento pariter leg. 66, *De fidejus.* Quæ leges, quamvis de servis loquantur, nunc tamen recte accommodantur filiisfamilias*.

(8. Procurator, tam specialis quam universalis, potest valide solvere pro debitore, cujus est procurator. *Communis*, textu expresse in l. *Procurator* 58, et l. *Sed et id* 59, ff. *De procuratoribus*, l. *Quodlibet* 87, ff. *De solutionibus*.

(9. Imo etiam quivis alius pro debitore etiam invito ac ignorante solvere, ac satisfacere, eumque a debito liberare potest. *Communis*, text. expresse in leg. *Solutionem* 23, et leg. *Solvere* 53, ff. *De solutionibus*, ibi: « Solvere pro ignorante, et invito cuique licet, addita ibidem ratione: cum sit jure civili constitutum, licere etiam ignorantis, invitique meliorem conditionem facere. » Et concordat lex *Solvendo* 39, ff. *De negotiis gestis*, ubi redditur eadem ratio.

(10. Est tamen hic advertendum, quod solvens pro alio sciente et volente, habet contra illum actionem mandati. Arg. l. *Si remunerandi* 6, § 2, ff. *Mandati*. Solvens autem pro alio ignorante habet contra illum actionem negotiorum gestorum ad repetendum ab ipso, quod pro eo solvit, nisi debitoris interfuerit eam pecuniam non solvi, text. expresse in l. *Cum pecuniam* 43, ff. *De negotiis gestis*. Solvens tamen pro alio expresse nolente et contradicente, nullam habet actionem, vel jus ad repetendum ab eo, quod pro ipso solvit. Arg. l. *Si rem* 40, ff.

De negotiis gestis, et cit. l. *Si remunerandi* 6, § 2, ff. *Mandati*.

* Verum observandum est, eum, qui pro alio solvit, nomine debitoris solvere debere, alioquin, nec se, nec debitorem liberat; non se, quia alienam pecuniam solvit; non debitorem, quia ipsius nomine non solvit, sed debitor se tueri tantummodo potest exceptione doli mali, ne, si aliter observaretur, creditor in lucro versaretur. L. 7 et l. 25, ff. *De solut.*

Potest etiam creditor sibimet efficaciter solvere, ut mulier possit satis fieri de dote, si habeat administrationem bonorum mariti. L. 48, ff. eod. Item possessor pignorum, si pignus vendat, et quantum ei debebatur, accipiat, liberabitur debitor. L. 26, ff. eod. *Vide* etiam l. 8, § fin., ff. *Quib. mod. pign. solv.*

(11. Successor in beneficio ecclesiastico, ut in episcopatu, prælatura, et quocunque beneficio etiam simplici, tenetur solvere debita tacta ab antecessore pro vera utilitate vel necessitate Ecclesiæ seu beneficii. *Communis*, text. expresse in c. *Ad hoc* 1, De solutionibus, ibi: « Sicuti filius debita patris solvere tenetur, ita prælatus, sui prædecessoris pro Ecclesiæ utilitate contracta: » juncto ejus summario sic expresse habente: « Successor in beneficio tenetur solvere debita prædecessoris pro necessitate Ecclesiæ contracta. »

(12. Item successor in beneficio tenetur solvere debita contracta a suo antecessore pro sua necessaria, honesta ac decenti sustentatione. Sic Abbas, in d. cap. *Ad hoc*, n. 2; Barbosa, ib., n. 3; Fagnan., ib., n. 10, citans ad id Rotæ decisionem, Flaminio Paris., *De resignation.*, lib. 1, q. 16, num. 15; Engel. lib. in *Decretal.*, tit. 23, nu. 18; Reiffenst., ib., nu. 16, et alii; et ratio est, quia etiam hæc debita propter unionem, quam habet rector cum Ecclesia, censentur contracta pro necessitate Ecclesiæ, eo quod Ecclesia teneatur suum rectorem alimentare. C. *Cum secundum* 16, De præbendis, ibi: « Cum secundum Apostolum qui altari servit, vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, ejus obsequio deputantur, ut ipsa pro nobis ratio persuadet. »

(13. Ut successor autem in beneficio teneatur solvere debita antecessoris, debet prius creditor probare, quod pro vera utilitate seu necessitate Ecclesiæ, aut saltem pro necessaria prælati sustentatione fuerint contracta. *Communis*, per text. in c. *Ea etiam*, § 1, caus. 10, quæst. 2, ibi: « Is creditor hic intelligatur, qui quod credidit, probat in utilitatem divinæ domus processisse. » Et concordat c. *Quod quibusdam* 4, De fidejussoribus, ibi: « Nisi forte in utilitatem, domus ipsius manifeste constiterit redundasse. »

(14. Sufficit tamen quod creditor probet tunc temporis adfuisse verum casum utilitatis vel necessitatis Ecclesiæ, quamvis non probet, in eam pecunias, vel aliam rem cre-

ditam fuisse conversam; sic Glossa communiter recepta in cit. c. *Ea etiam* 21 ad fin., caus. 10, q. 2, verb. *Probat.*; Abbas, in cit. cap. *Ad hoc* 1, De solutio., n. 7; abbas, in cit. c. *Quod quibusdam* 4, De fidejussoribus, n. 7; Reiffenst., loco cit. n. 19, et ipso teste communis aliorum, arg. l. *Utilitatem* 1, § 9, et l. *Lucius* 7, ff. *De exercitoria actione*.

(15. Nullatenus vero tenetur successor in beneficio solvere debita ab antecessore contracta, non pro utilitate aut necessitate Ecclesiæ, nec pro necessaria sui sustentatione, sed alio titulo. *Communissima* per claros textus in cap. *Si quorundam* 1, De solutionibus, cap. *Quod quibusdam* 4, De fidejussoribus, c. *Gravis* 1, De deposito, cap. *Ea etiam* 2, caus. 10, q. 2. Et ratio est, quia clerici debita contrahentis incuria, culpa vel prodigalitas, non debet nocere Ecclesiæ, textu expresse in cap. *Delictum* 76, De regul. juris in 6, ibi: « Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. » Peccata enim suos debent tenere auctores, l. *Sancimus* 22, cod. *De penis*, cap. *Quæsit* 2, De his, quæ fiunt a majori parte capituli.

(16. Solutio primum fieri debet, ac potest, ipsi creditori, etiam invito, si ipse creditor liberam rerum suarum habeat administrationem, et ipsa solutio fiat debito loco et tempore; et si creditor solutionem accipere nolit, poterit debitor pecuniam debitam magistratui consignare, sicque se et a debito principali, et ab usuris liberare. *Communis*, text. exp. in l. *Oblatione* 9, cod. *De solutionibus*, ibi: « Oblatione totius debite pecuniæ solemniter facta, liberationem contingere, manifestum est. Sed ita demum oblatio debiti liberationem parit, si eo loco, quo debetur, solutio fuerit celebrata, » cum similibus.

(17. Nequit vero fieri solutio creditori, qui liberam rerum suarum administrationem non habet; unde si quis debitum solvat pupillo sine auctoritate tutoris vel minori, prodigo, amenti sine auctoritate curatoris, et pecunia soluta perdat, seu male consumetur, denuo pro solutione debiti conveniri potest. *Communis*, per text. in § *Nunc admonendi* 2, Institut. *Quibus alienare licet, vel non*, l. *Pupillo*, ff. 15, De solutionibus.

(18. Potest tamen fieri solutio tutori aut curatori ejusmodi creditoris non habentis liberam rerum suarum administrationem. *Communis*, textu exp. in l. *Quod si* 14, § 7, l. *Solutam* 49, ff. *De solutionibus*, et cit. § *Nunc admonendi* 2, Institut. *Quibus alienare licet, vel non*, cum similibus.

(19. Item recte fit solutio creditoris procuratori tam generaliter, quam specialiter ad solutionem accipiendam deputato. *Communis*, textu expresse in l. *Vero* 12 in principio, ff. *De solution.*, et l. *Qui hominem* 34, § 3, ff. eodem.

(20. Si debitore penitus ignorante seu nesciente, procurator a creditore tali officio privetur, vel ei, ne solutionem accipiat,

specialiter mandetur, adhuc ipse debitor recte ei solvit et liberatur a sua obligatione; secus autem, si id sciat. *Communis*, per claros textus in l. *Vero* 12, § 2, ff. *De solutionibus*, et cit. l. *Qui hominem* 34, § 3, et l. *Dispensatori* 5, ff. eodem.

(21. Item recte fit solutio servis ac filiis-familias, si ad accipiendam solutionem specialiter sint deputati, vel liberam et universalem habeant administrationem. *Communis*, per claros textus in l. *Vero* 12, l. *Si quis* 18, l. *Qui hominem* 34, l. *Solutam pecuniam* 49, ff. *De solutionibus*, cum similibus.

(22. Item recte fit solutio creditori creditoris, nisi ab ipso creditore expressa ad id habeatur contradictio. Arg. leg. *Si liber* 36, ff. *De negotiis gestis*, l. *Solutum* 11, § 5, ff. *De pignoratitia actione*; unde casu, quo creditor a tali debitore adhuc solutionem prætenderet, posset dictus debitor se liberare exceptione doli mali, dicendo: Sine tua contradictione jam solvi tuo creditori. L. *Si opera* 6, ff. *De doli mali et metus exceptione*, et ibi Baldus, Perez, *De solutionibus*, n. 6; Silvester, verb. *Solutio*, q. 14; Reiffenst., loco cit., n. 26, et alii.

(23. In qua specie et quo valore monetæ faciendæ sit solutio? Vide verb. *MONETA*, a n. 13 ad 25.

(24. Debitore existente in culpabili mora solvendi, si interim contingat monetarum mutatio, ipse solus damnum sentire debet. *Communis*: mora enim cuique sua, non alteri nocere debet. C. *Mora sua* 25, De reg. jur. in 6, ibi: «Mora sua cuilibet est nociva.»

(25. Quando in conventionem speciali certum tempus ad solvendum præfixum est, debet exacte a debitore observari. *Communis*, per textum in l. *Solidum* 85, ff. *De solutionibus*, ibi: «Solidum solvitur, non minus quantitate, quam die.» Et hoc etiamsi creditor non urgeat solutionem, quia dies statuta interpellat pro eo, textu expresso in c. *Potuit* 4, De locato et conducto, ibi: «Non obstante, quod ei, ut canonem solveret, non existit nuntiatum, cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellat;» et concordat l. *Magnam* 12, cod. *De contrahenda stipulatione*, et l. *In emphiteuticariis* 2, cod. *De jure emphiteutico*. (26. Unde si ex culpabili mora solvendi præfixo et determinato tempore creditor aliquod damnum patitur, est ei resarciendum a debitore culpabiliter moroso, quia tunc est causa, quod patitur illud grave interesse lucri cessantis et damni emergentis; cum qui causam damni dat, damnum dedisse videatur. C. *Si culpa* 9, De injuriis et damno dato, l. *Qui occidit* 30, § 3, ff. *Ad legem Aquiliam*; adeoque, etc.

(27. Si certum tempus determinatum sit in favorem debitoris, prout ordinari fieri solet, l. *Cum tempus* 17, ff. *De regul. juris*, potest debitor ante finitum tempus conventum solvere, et creditor tenetur solutionem acceptare, textu expresso in l. *Quod certa* 70, ff. *De solutionibus*, ibi: «Quod certa die promissum est vel statim dari potest, to-

tum enim medium tempus ad solvendum promissori liberum relinquitur;» et concordat l. *Qui res* 98, § 4, ff. eodem, cum similibus; et ratio clara est, quia omnes libere possunt his, quæ pro se introducta sunt, renunciare, textu expresso in l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*, ibi: «Cum alia sit regula juris, antiqui, omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renunciare,» et cap. *Si de terra* 6, De privilegiis, ibi: «Cum liberum sit unicuique juri suo renunciare.»

(28. Si autem tempus determinatum sit in gratiam creditoris, prout fit, quando pro summa capitali mutuo accepta dari debet usura; debitor ante elapsum illud tempus solvere non potest, nec creditor solutionem accipere tenetur; et sic in aliis similibus casibus. *Communis*, per textum in l. *Javolenus* 15, ff. *De annuis legatis*.

(29. Si vero nullum tempus pro solutione sit determinatum, potest debitor eam differre, donec creditor eam petat. *Communis*, arg. l. *Debitorum præsentis* 10, cod. *De pignor.*, l. *In fideicommissi* 3, ff. *De usuris*, quando enim creditor non petit solutionem, tunc debitor prudenter præsumere potest creditorem quoad talem dilationem solutionis non esse invitum.

(30. Limitatur tamen prima conclusio in casu, quo solutio sit debita ex delicto, v. g. furto, tunc enim solutio seu restitutio faciendæ est statim moraliter, quam primum absque notabili incommodo fieri potest, etiamsi non petatur a creditore, quia tunc talis debitor ex delicto, etiam sine petitione creditoris, est in culpabili mora solvendi seu restituendi. *Communis*, textu expresso in l. *In re furtiva* 8, § 1, ff. *De conditione furtiva*, ibi: «Semper enim moram fur facere videtur.» (31. Et si creditor ex tali culpabili mora aliquod damnum patitur, resarciri debet a culpabiliter moroso debitore. *Communis*, per dicta et jura adducta supra n. 26. Vide verb. *RESTITUTIO*, art. 3, n. 87.

(32. Limitatur secundo conclusio in casu, quo creditor ex timore etiam reverentiali debitum petere non audeat, aut illud ignorat, tunc enim debitor censetur esse in culpabili mora ex tempore, quo arbitrio prudentis viri solvere potest ac debet; et ita ad præsens intelligi debet id, quod expresse dicitur in l. *In omnibus* 14, ff. *De regul. juris*, ibi: «In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur.» Sic Reiffenstuel, loco cit., n. 48; Silvester, verb. *MORA*, q. 1, et alii passim.

(33. Alia ad rem de tempore solutionis seu restitutionis faciendæ. Vide verb. *RESTITUTIO*, art. 3, a num. 83 ad 103.

(34. Solutio seu restitutio in quo loco, et ejus expensis et periculis fieri debeat? Vide verb. *RESTITUTIO*, art. 4, a n. 1 ad 27.

(35. Quilibet debitor, regulariter loquendo, tenetur simul, et semel totum solvere debitum, nec tenetur creditor solutiones per

partes accipere. *Communis*, per text. in l. *Tutor* 41, et Lucius, ff. *De usuris*, l. *Plane* 3, ff. *Familia erciscundæ*, ubi etiam redditur ratio ibi: «Quia sæpe et solutio, et exactio partium non minima incommoda habet.»

(36. Limitatur tamen conclusio primo in casu, quo specialiter conventum sit inter debitorem et creditorem, quod solutio fiat per partes. *Communis*, per textum in l. *Arbitraria* 2, § 4, ff. *De eo, quod certo loco dari oportet*; et ratio est quia, ut expresse dicitur in cap. *Contractus* 85, De reg. jur. in 6: «Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur,» et justa pacta servanda sunt, l. *Antigonus* 1, De pactis, ibi: «Inita pacta suam obtineant firmitatem,» cap. *Qualiter* 3, eod., ibi: «Studiose agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur;» l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*, ibi: «Pacta conventa, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita sunt, omnimodo observanda sunt.»

(37. Limitatur secundo, in casu, quo debitum per partes contractum sit, quia obligatio eo modo tolli potest, quo contracta est. *Communis*, per textum in l. *Nihil tam naturale* 35, ff. *De regul. juris*, ibi: «Nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissolvere, quo colligatum est.»

(38. Limitatur tertio, in casu, quo debitor ex diversis causis seu contractibus debita contraxerit, nempe unum debitum ex causa seu contractu locationis, aliud ex contractu seu causa emptionis, aliudve ex causa seu contractu mutui, et sic de aliis; tunc enim debitor potest, quod vult ex illis debitis solum solvere, et non tenetur omnia debita simul solvere. *Communis*, textu expresso in l. *In potestate* 1, cod. *De solutionibus*, ibi: «In potestate ejus est, qui ex pluribus contractibus pecuniam debet tempore solutionis exprimere in quam causam reddat;» et concordat l. *Quoties* 1, ff. *De solutionibus*, ibi: «Quoties quis debitor ex pluribus causis unum debitum solvit, est in arbitrio solventis dicere, quod potius debitum voluerit solutum, et quod dixerit, id erit solutum.»

(39. Unde cum quis ex pluribus causis est debitor, et aliquam solutionem facit, in ejus potestate est exprimere, quod potius debitum velit solutum: si vero nihil exprimat, est in potestate creditoris, pro quo voluerit debito talem solutionem accipere; textu expresso in c. l. *Quoties* 1, ff. et cit. l. *In potestate* 1, cod. *De solutionibus*. (40. Cum hoc tamen, quod si nihil exprimat, censetur semper solutum debitum magis onerosum. Sic aperte additur in c. l. *Quoties* 1, ff. *De solutionibus*: «Dummodo (creditor) in id constituat solutum, in quod ipse, si deberet, esset soluturus, quoque debito se exoneratus esset, si deberet... Equissimum enim visum est creditorem ita agere rem debitoris, ut suam ageret;» et concordat l. *In his* 5, et l. *Cum ex pluribus* 97, ff. eod.

(41. Quando debitor una cum capitali si-

mul usuras debet per partialem solutionem factam, censentur solutæ usuræ, quamvis debitor capitale se solvere exprimat, textu expresso in l. *In his vero* 5, § 3, ff. *De solutionibus*, ibi: «Apud Marcellum lib. xx *Digestorum*, quæritur, si quis ita caverit debitori in sortem et usuras se accipere, utrum pro rata, et sorti, et usuris debeat; an vero prius in usuras, et si quid superest in sorte? Sed ego non dubito, quin hæc cautio in sortem, et in usuras, prius usuras admittat, tunc deinde, si quid super fuerit, in sortem cedat.»

(42. Debitum tollitur etiam sine solutione per acceptilationem. *Communis*; textu expresso in § *Item* 1, instit. *Quibus modis tollitur obligatio*, ibi: «Item per acceptilationem tollitur obligatio,» et l. *Pluribus* 6, ff. *Acceptilatione*, ibi: «Id solum per acceptilationem sublatum est.»

(43. Acceptilatio autem est imaginaria solutio seu habitio rei pro recepta per interrogationem debitoris et responsionem creditoris facta. «Quod enim Titio debetur, si id Titius velit remittere, poterit sic fieri, ut patiat hæc verba debitorem dicere: Quod ego tibi promisi, habes ne acceptum? Et Titius respondeat: Habeo.» Sic expresse habetur in citat. § *Item* 1, instit. *Quibus modis tollitur obligatio*, et concordat cit. l. *Pluribus* 6, ff. *De acceptilatione*, ibi: «Pluribus stipulationibus factis, si promissor ita accepto rogasset: Quod ego tibi promisi, habesne acceptum? Siquidem apparet, quid actum est, id solum per acceptilationem sublatum est; si non apparet, omnes stipulationes solutæ sunt.» Vide verb. *JURAMENTUM*, art. 1, n. 20.

(44. Unde ut acceptilatio valeat, debet sic fieri, ut appareat cujus debiti ex pluribus remissio petatur. Unde in cit. l. *Pluribus* subjungitur: «Si ego aliud accepto tui, aliud tu rogasti, nihil valere acceptilationem.» (45. Si autem pluribus debitis ex pluribus stipulationibus factis gravatus, non pro uno vel altero determinato debito, sed pro omni indefinite roget, tunc per acceptilationem omnia debita, quamvis ex pluribus stipulationibus provenientia, censentur sublata seu remissa. Citat. l. *Pluribus*, ibi: «Si quidem apparet, quid actum est, id solum per acceptilationem sublatum est, si non apparet, omnes stipulationes solutæ sunt.»

(46. Debitum tollitur, et solutio fieri censetur etiam per justam compensationem. *Communis* per textum in l. *Dedisse* 76, ff. *De verbor. significat.*, ibi: «Dedisse intelligendus est etiam is, qui compensavit,» et l. *Si debitor* 4: «Qui potiores in pignore,» ubi dicitur: «Nihil interesse, solveritne aliquis, an compensaverit?»

(47. Quandoque autem licita et justa compensatio fieri possit, et quænam conditiones ad ipsam requirantur? Vide verb. *COMPENSATIO* per tot.

(48. Qui per errorem solvit quod nec jure naturali, nec civili debebat, solum condicere seu repetere potest. *Communis*